

Tyt. Ante tamen , quam te jaculo certare paratum
 Myrhæo , Lycida , sistas ; spectare juvabit
 Et sedem , & tanti sōcios certaminis , atque
 Jura tibi nondum bene cognita : concidet omnis
 Fors & amor pugnæ , & palmæ spes irrita cedet .
 Ad lœvam converte gradus , qua consita densis
 Ordinibus viridi se pandit plurima fronde ,
 Vernantesque comas attollit in aera laurus .
 Illa sacri sedes certaminis. *Lyc.* Haud moror. At quæ,
Tytire , quæ rerum facies nova ? pendula ramis
 Omnibus ora virum seu sculpto extantia buxo ,
 Sive coloratis fulgent depicta tabellis .
 Pastorale pedum , & septem compacta cicutis
 Fistula cuique sua , ac circum cava tempora laurus
 Adstat , at innumeris variantur cætera signis .
Quid juvenum manus illa struit ? fulcatur acuti
 Huic acie teli summâ cerata papyrus :
 Hic ebore , hic viridi varias in cortice formas ,
 Alter in æquali pronus designat arena .
 Ille autem & setas jaculo præfixit acuto ,
 Et chonchis fucos infudit levibus , atque
 Commiscet , versatque agitans , telamque colorat .
 En aliis parium ferrata cuspidi marmor ,
 Flavum aliis buxi ramum , teretisque cupressi ,
 Truncum aliis telo formans tunditque , secatque .
 Quæ subiit nova cura animos ? quæ forma colendi
 Arcadici nemoris ? veterum quo jura parentum ,
 Servati & longos mores abiere per annos ?
Tyt. Dj dederunt meliora boni. Myrhæus avitos ,
 O Lycida , mores mitescere jussit , agresti
 Arcadiæ ingenuas & providus intulit artes .
 Sic & qui steterat succis oleaster amaris
 Improbus , & foliis alte pungentibus asper ,
 Idem jam pinguis frondes emittit olivæ ,
 Ac dulces bacchæ mitissima Palladis arbor
 Educat , & spinis qui quondam horrebat acutis ,